



mentum formaliter, ut tale, & exercendi actiones exteriores, quatenus sacramentales sunt, ut fuse probamus loc. cit. ubi etiam nonnullas objectiones solvimus contra necessitatem huius intentionis, non sperandas, quae ibi videri possunt.

38 Tertio, cum triplex esse possit Ministri intentio in Sacramento exercendo, scilicet, actualis, habitualis, & virtualis, quae est veluti media inter illa duo membra, ut ait Doctor 4. d. 6. q. 6. A. quatenus est imperfectior prima, & perfectior secunda; ad valorem Sacramenti sola habitualis intentio non sufficit, quia habitualis intentio, ut explicat Doctor I. c. nihil aliud est, quam propensio illa, & facilitas, seu promptitudo ad efficiendum Sacramentum, quae oritur ex iterata sepius Sacramentorum administratione; haec autem potest etiam esse in dormientibus; hinc enim multa aliquando faciunt ex habitu iam acquisito, quae tamen neque ad premium, neque ad poenam imputantur, quia sine liberatione sunt; si vero habitualis intentio explicetur cum pluribus Recentioribus pro actu praeterito, & non retrahatur nec etiam hoc modo sumpta est sufficiens, quia intentio ad Sacramentum conficiendum requisita debet esse causa influens in eius effectum; sed intentio mere habitualis in hoc sensu nullo modo in effectum Sacramenti influere potest, quia talis intentio neque manet in seipsa, cum iam sit praeterita, neque in aliquo effectu inde securo, quia ut supponimus, nulla actio ad Sacramentum ordinata ex tali intentione oritur, si actualis non est intentio, mere habitualis, sed virtualis; cum ergo Sacramentum, & eius effectio nec immediate, nec mediate ex tali intentione procedat, dicendum est talem habitualem intentionem nullo modo sufficere. Actualis autem intentio est quidem sufficiens ad valorem Sacramenti, imò sufficientissima ea enim est, qua aliquis Sacramentum conficiens actu, & de facto intendit conficere, seu facere, quod facit Ecclesia; non tamen est absolute necessaria, quia non maior intentio requiritur in actionibus sacramentalibus, quam in aliis actionibus moralibus, & meritorijs, ad quas non necessario requiritur specialis intentio, sed sufficit virtualis, tum quia, ut ait Doctor, noloit Deus hominem obligare cum tanto rigore, vel ad nimis difficile, & moraliter impossibile, est autem impossibile moraliter continuata intentio in aliqua actione, quia ut ait Augustinus, de lib. arb. non est in potestate nostra, quin visis tangamur, & experientia docet obiectum sensibile ob connexionem appetitus sensitivi cum intellectivo voluntatem distrahere, & rationem. Quare concluditur, ut ait Doctor, & est communis sententia, solam virtuales intentionem esse sufficientem, & necessariam ad conficiendum verum Sacramentum; virtualis autem intentio dicitur illa, qua operans virtute actualis intentionis prius habet facit omnia, quae facit, tamquam ex radice, ita, quod intentio illa actualis praehabita fuit principium ordinatum ad omnes actus sequentes; & in proposito ea est, quae cum paulo ante actu extiterit, nec revocata fuerit; ex vi illius minister actionem Sacramenti perficit, ut cum quis, v. g. ex intentione celebrandi Missam, & conficiendi Sacramentum Eucharistiae, vestes Sacras induit & ad altare accedit; quod si postea in ipso consecrationis, actu ex humana fragilitate distrahitur, dummodo verba consecrationis super materiam aptam debite proferat, nec primam intentionem revocet, valide Sacramentum conficit, quia id facere confertur vi actualis illius intentionis praeterita, quae causa extitit, ut vestes Sacras indueret, ad altare accesserit, & alia egerit, cum quibus consecratio connexionem habuit, ut fuse explicatum est q. 7. cit. art. 2. Quod autem intentio interpretativa non sufficiat diximus ibi n. 283.

39 Quarto, praeterea addendum est ad efficiendum Sacramentum necessariam esse intentionem absolutam, neque sufficere conditionatam, nisi talis sit, quae statim in absolutam transeat; ita etiam statuimus q. 7. cit. art. 2. in fine, & est communis omnium sensus. Ratio prima partis est, quia ut ibi dicebamus, intentio pro conficiendo Sacramento debet esse efficax, at sola absoluta intentio est efficax, non autem conditionata: ergo illa est necessaria. Probat etiam, & explicat ibidem quoad alteram partem, quia conditio appositae intentionis, vel est de futuro, vel praeterito, vel praesenti; si est de futuro v. g. absolvo te, si cras restitutionem feceris, non conficit Sacramentum, quia talis conditio de futuro suspendit intentionem praesentem, & facit, quod tunc Minister intentionem non habeat, siquidem intentio, quam habet, ab illa conditione futura dependet; sed ad Sacramenta conficienda requiritur intentio de praesenti, quia requiritur intentio influens in administrationem illorum, vel actualis, vel saltem virtualis, ut dictum est, si vero intentio est de praeterito, vel de praesenti, opus est, ut vel omnino destruat intentionem, vel illam relinquat absolutam, & efficacem, nam si conditio illa nec fuit, nec est, iam destruit intentionem, quia voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est; si vero conditio illa vel fuit, vel est, iam intentio transeat

in absolutam, quia voluntas conditionata, impleta conditione fit absoluta: unde quando quis sub conditione haec alterum baptizat, si non es baptizatus, ego te baptizo, illa conditio vel est adimpleta, vel non; si non est adimpleta, destruitur intentio oblationem allatam; si vero est adimpleta, intentio transeat in absolutam, & ita conficit Sacramentum, & haec de causis I. c. dicebamus, jura consulunt, quod si Sacramenta sunt sub conditione, haec conditio fit de praeterito, vel de praesenti, non vero de futuro, nam adimpleta conditio conficitur Sacramentum; si non adimpleta, non conficitur; quia statim intentio destruitur; si vero conditio appositae sit de futuro, semper est contraria substantiae Sacramenti, & nihil efficit, etiam si conditio appositae postea impleatur, quia ad conficiendum Sacramentum ultra Ministri intentionem requiritur materia, & forma Sacramenti, at postea cum impletur conditio, licet intentio adesse, non tamen adest materia, & forma Sacramenti, quippe quae iam praeterit, & ideo nec antea, nec post fit Sacramentum, ut iam Becanus observat c. 5. de Sacramentis in communi q. 4.

40 Dices, si Sacramentum validitas pendet ab intentione Ministri, duo sequerentur absurda, primum Sacramenta nostra incerta esse, ad dubia, quia non possumus esse certi de intentione Ministri, cum haec nobis non confertur, & alterum est, malitiam Ministri alteri nocere posse quoad valorem animae, ut si Minister baptizans puerum intentionem non haberet illum baptizandi, quod nimis durum videtur.

Respondetur ex dictis loc. cit. negando sequela prima absurdi loquendo de certitudine morali, quod ad securitatem, & tranquillitatem animi sufficere debet, quod, scilicet fuerit omnibus circumstantiis nulla occurrat rationabilis causa dubitandi de Sacramento suscepti validitate; imò sicut ex precepto charitatis iudicia omnia temeraria, & suspiciones contra proximum, ac proinde contra quemcumque Sacramentorum ministrum abdicere debemus; sic etiam abdiciones omnes, quod de illius legitima, & sufficienti intentione suboritur, repudiare debemus; unde argumentum probat tantum nos non habere certitudinem physicam de intentione Ministri, quae moralis necessaria non est, non autem probat de certitudine morali quae sufficit ad pacandos aures, sicut haec moralis certitudo quiescit filius credens firmè esse talis patris filium, cum tamen facile contingere possit ex levitate matris, vel tentatione, aut alia occasione, quod esset alterius patris filius. Ad aliud absurdum evitandum plura quae diximus q. 7. c. nu. 271, & valde probabile esse diximus Alesii, Durandi, Gabrielis, & aliorum Doctorum sententiam, qui existimant in eo casu, in quo ex malitia, vel Inhorantia, aut inadvertentia Ministri in collatione alicuius Sacramenti intentio sufficientis adhibita non esse. Christum Dominum, tamquam summum Sacerdotem, qui nunquam in necessariis deest, defectum illius Sacramenti suppleturum esse, & causans hominum salutem modo Sacramenti, in eo casu, quo Sacramentum absque alia sufficienti culpa, sed solum confertur sine nullum, sua divina misericordia defectum supplet in his, quae ad salutem sunt necessaria.

41 Quod ulterius queritur, an praeter legitimam potestatem, & sufficientem intentionem in Ministro requiratur etiam fides, & gratia sanctificans ad valorem Sacramenti, & alios hereticos neutrum requirit ad Sacramenti validitatem, quia valor Sacramenti per se non pendet ex fide, vel sanctitate Ministri, ac proinde validum est Sacramentum, quod confertur ab Heterico; vel schismatico, vel peccatore, dummodo reliqua necessaria concurrant, & ita expressè definitum est in Conc. Trident. sess. 7. c. 13. de Sacramentis in genere, & can. 4. de baptismo, & olim definitum fuerat in Conc. Nicen. 1. can. 19. & Chertagin. 1. can. 1. & à Summis Pontificibus Leone Magno episc. 77. ad Nicetam, & Gregorio Magno lib. 4. registri episc. 71. Ratio est, quia Minister Sacramentorum operatur auctoritate, & potestate à Deo accepta, ut omnes concedunt; hanc autem potestatem non auferit Deus propter peccatum, aut infidelitatem Ministri, qui potestas conficiendi Sacramentum non est gratia gratum faciens, sed gratis data, & non datur in utilitatem Ministri, sed aliorum; ergo non debet auferri propter peccatum Ministri, quia alii non debent puniri propter peccatum alterius.

Confirmatur, quia ut passim docent Patres, & Concilia si valent redderentur perplexi de valore Sacramenti, quia status potest esse tanta certitudo morali, sicut de intentione, de qua ipse Minister certitudinem physicam habere potest, non autem de sua probitate, & fide; & multo facilior est Ministri habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, seu quod idem est faciendi verum Sacramentum, quam ipsum esse iustum, &

ARTICULUS SECUNDUS.

Quis sit susceptor Sacramentorum, & qua in illa requiratur ad validam, & licitam eorum susceptionem.

44 Hic etiam supponendum est cum communi Theologorum sententia, quod sicut de facto, & lege ordinaria solus homo viator est legitimus Sacramentorum Minister, ut dictum est art. praec. ita etiam solus homo viator, & in hac vita degens est subiectum Sacramentorum capax, & ratio est, quia Sacramenta sunt instituta ad salutem hominis viatoris, & in remedium peccati, ut patet ex definitione Sacramenti superius tradita; ergo solus homo est subiectum Sacramentorum capax, quando in hac vita degit, in una remedio eget ad tollenda peccata, & gratiam acquirendam. Notanter verò diximus de facto, & lege ordinaria solum hominem viatorem esse subiectum Sacramentorum capax, quia de potentia absoluta etiam Beati post facta Sacramenta recipere, hoc enim nullum involvit implicitam; Angeli tamen nullatenus sunt Sacramentorum capaces, quia sunt entia prorsus spiritualia, Sacramenta vero in rebus materialibus consistunt, ut constat ex dictis; adhuc tamen verum est non omnes, & singulos homines esse omnium Sacramentorum capaces, nam aliqui sunt incapaces Ordinis, ut foeminae, alii sunt incapaces extremae Unctionis, ut pueri, qui nondum rationis usum perverit, & aliqui etiam sunt incapaces Matrimonii propter impotentiam perpetuam, aut propter defectum usus rationis, & hoc sufficit pro resolutione quaevis quo ad primam partem; quo antea ad alteram.

45 Prima declarandum est, quae intentio requiratur, & sufficiat in suscipiente Sacramenta, & quidem in primis certum est in infantibus, vel adultis perpetuo amentibus nullam requiri intentionem, cum nullum possint actum voluntatis elicere, ac proinde valide ea Sacramenta recipere, quorum sunt capaces, v. g. Baptismum, & Confirmationem, etiam si id nullo modo intendat; sicut etiam est contra certum est invalide Sacramentum conferri omnino invitis, & voluntate repugnantibus, & contradicentibus, vel iis, qui voluntate habuerunt nunquam suscipiendi Sacramentum, & in amentiam incidit, antequam eam revocarent, ita enim expressè habetur cap. Majoris de Baptismo. In adultis verò, si sint rationis capaces, requiritur consensus ad validam susceptionem Sacramenti suscipientem. Ita expressè deducitur ex Conc. Arausico. 1. cap. 12. ubi habetur *Obmutescens baptizari, aut poenitentiam accipere potest si voluntatis praerisis testimonium aliorum verbis habeat, & ex Conc. Cartag. 3. cap. 37. ubi habetur Agrotans si responderet non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, accipere baptizentur, unde Concilia supponunt non posse agrotantibus, vel obmutescens Sacramenta Baptismi, aut Poenitentiae ministrari; nisi aliquando voluntatem ea suscipiendi habuerint, & ostenderit, alias frustra testimonium aliorum de tali voluntate requireretur; quae etiam ratione in Rituali Romano Pauli V. prohibetur baptizari, qui cum aliquando rationis usum habuerit, ante amentiam nunquam voluntatem ostendit baptismi recipiendi; & hoc rationi valide consentaneum est, ut qui compos rationi vult beneficium tam magnum recipere, ipse in suam utilitatem administratum consensus adhibeat, ut Pontius etiam observat disp. 4. de Sacramentis in genere q. 10. concl. 3. Sufficit autem ad hoc quilibet intentio, sive actualis, sive virtualis, sive etiam habitualis, ut adultus valide Sacramentum suscipiat, ac proinde opus non est, ut actu intendat, dum suscipit, sed sufficit, ut aliquando id intenderit, & nunquam revocaverit, & ita etiam suavis Dei providentia postulat, ut sicut nullum sine suo consensu iustificat, ita abique eius consensu nullum per Sacramenta consecraret, ac proinde qui aliquando usum rationis habuit, & nulla unquam ratione Sacramentum expetiit, invalide illud suscipit, an vero sufficiat voluntas mere interpretativa, & in causa, licet aliqui id negent, ut Coninchius, Caspensis, & alii, probabiliter tamen admitti potest, ut diximus disp. 1. c. q. 7. ar. 2. nu. 84. quia cum intentio ex parte suscipientis requiratur solum, tamquam dispositio, seu conditio, per quam suscipiens intelligatur in repugnare Sacramento, non vero ut principium actionis sacramentalis, sicut requiritur in Ministro, quemadmodum in suscipiente ad talem non repugnantiam indicandam sufficit sola intentio habitualis, ita etiam interpretativa sufficere videtur, quorum neutra sufficit in Ministro, unde diversa est omnino ratio de Ministro, & suscipiente, tum ex institutione ipsa Christi, tum ex ipsa rerum proportionem, quae plus requiritur ad agendum, quam ad recipiendum. Haec est communis Theologorum doctrina, & praesertim Scoti 4. disp. 4. q. 4. ubi querit, an adultus non consentiens possit effectum baptismi recipere, & ait adultum rationem*

sanctum, & ideo dequit, & congruum fuit valorem Sacramenti ab intentione Ministri pendere, non sic à sanctitate. Addendum tamen est, ad hoc ut Minister non modo valide, sed etiam licite Sacramentum conficiat, si dem, & gratia sanctificantis statum in eo requiritur, tum quia Christo, cuius est Minister se conformare debet, tum quia sancta sancte sunt tractanda, ut constat ex D. Dionysio de Eccl. Hierarch. 1. ubi ait, quod *malis non est fas tangere symbola* id est, Sacramenta, & ex D. Aug. 1. 2. contra Parmenianum, ubi dicit quod *omnia Sacramenta, cum obfint indignè trahantibus, profusum tamen per eos dignè sumuntibus*.

42 Sexto ex hoc deducunt Doctores communiter, & praesertim Abellius loc. cit. scilicet, quod quotiescumque aliquod Sacramentum est conficiendum, illius Minister diligenter examinare debet, an peccati alicujus mortalis sit conscientius, & si ita esse deprehendat, vel dubitet, illud prius sacramentali confessione delere debet, si opportunitas adsit, sin minus saltem perfecta contritionis actu expiare, non enim licet Sacerdoti administrare Sacramenta cum sola attritione cognita, quia adhuc est extra statum gratiae, ut Bonac. advertit cum pluribus aliis qu. 3. punct. 2. S. 1. Excipitur tamen casus necessitatis urgentis v. g. Baptismi pueri moribundo confertur, tunc enim quamprimum suscipi potest, illius saluti consulendum est, omittis quibuscumque aliis; nec peccat qui tunc Baptismum in peccato mortali ministrat, si contritionis elicendi tempus non suppeteret. Plures etiam asserunt non esse peccatum mortale ex se, & ex genere suo, qui in statu peccati mortali Eucharistiam alteri manducam porrigat, sicut neque si Parochus, vel alius Sacerdos ab eo delegatus in tali statu peccati admittat celebrationi Matrimonii, quia in tali actione non Ministri, sed tibi honorarii personam sustinet; nec etiam si Diaconus, vel Subdiaconus in statu peccati mortali solemniter ministrat, quia haec actiones non tendunt proximè ad iudicacionem animae ex opere operato, sicut actiones Sacramentales, quae ratione etiam Sacerdos, vel Episcopus mortaliter non peccat, si Sacramentalia exercet in peccato mortali v. g. nuptias, aquam benedictam, altaria, templa, vasa consecrat, conlocutionem, Eucharistiam de loco in locum transferat, & familia I. de Valentia, Suarez, Henriquez, Vasquez, Layman, Coninchius, Card. de Lugo, & alii communiter, quamvis Cajetanus, Silvius, Navarrus, Fillucius, & alii oppositum sentiant; sed licet prior sententia sit maxime probabilis, in praxi tamen totius est, ut antequam Minister functionem solemnem cuiuscumque ordinis faciat exercet, si peccati mortalis conscientius sit, & cum contritionis semper praemittat ob Sacramenti reverentiam.

43 Denique docent communiter Doctores, & praesertim Averla qu. 64. de Sacramentorum causis scilicet, 2. in fine non omnes, qui possunt valide, posse etiam licite Sacramenta praebere; sic enim recto Ecclesiae regimini congruebat, ut quibusdam certis Ministris Sacramenta ministrare ex officio competeret, & non aliis, ad consuetudinem evitandam, & alia inconvenientia; unde soli Sacerdotes in universum possunt licite Sacramenta ministrare, excepto Matrimonii Sacramento, cuius Ministri proprii sunt iidem conherentes, ut dictum est l. 4. d. 7. de Matrimonio qu. 2. ar. 2. ac etiam excepto Baptismo in casu necessitatis quando nullus adest Sacerdos, tunc enim etiam ab aliis licite conferri potest; sed nec etiam omnes Sacerdotes, sive etiam Episcopi licite possunt quocumque Sacramenta quibuslibet ministrare, siquidem adhuc Ministerium peculiarem habere debent jurisdictionem, vel ordinariam, qualem respectu suorum subditorum habent Episcopi, & Parochi, quae ratione dicuntur illarum ovium Pastores, vel delegatam, id est, ex commissione, & licentia ejusdem proprii Pastoris, qualis sepe concedi solet etiam aliis Sacerdotibus, qui non sunt animarum Pastores, & huiusmodi jurisdictionem, seu jurisdictionem potestatem, vel ordinariam, vel delegatam in Sacramento Poenitentiae non solum est necessaria ad licite, sed etiam ad valide absolvendum, ut Theologi communiter docent; ac etiam in Sacramento Matrimonii ad ejus valorem haec jurisdictionis potestatem necessaria est ex decreto Concilii Trident. licet enim contrahentes sint Ministri, debet tamen adfuerit Parochus, vel alius Sacerdos de ejus licentia. Demum praeter hanc jurisdictionem Sacramenti Minister ad licite Sacramenta ministranda debet esse expeditus, & liber ab omni Ecclesiastica censura, & impedimento, alioquin si excommunicatione, interdictio, suspensione, aut irregularitate ligatus esset, graviter in ministrando peccaret, ut dictum est episc. disp. 13. de Conjuris.



Ita enim expresse docuit Concil. Moguntinum sub Paulo III. celebratum anno 1549. cap. 11. ubi loquens de Sacramentis novae legis, & eorum efficacitate in gratia conferenda ait, non esse virtus simpliciter, sed sacramenta singula, & officia signa, quae videlicet in se habent virtutem conferendo, sanctificant, gratiam vero sacramentalem non ex ipsa exteriorum rerum virtute, nec ex merito ministerii, sed ex interna, & divina operationis virtute, & manantem esse, quibus verbis exprimit Concilium gratiam nobis per Sacramenta collatam non externo symbolo Sacramentali tribuendam esse, sed interna virtuti, & operationi divinae.

22. Hoc idem innuunt Patres Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Cyprianus, & alii loc. cit. adducti, dum dicunt in Sacramentorum susceptione Deum solum esse, vel Spiritum sanctum, qui animam sanctificat, mundat, & lavat, dum exterior Sacramentum percipitur, elementum lavare extrinsecus, Deum vero mundare intrinsecus, & tandem Sacramentum significare visibiliter, quod Deus agit invisibiliter, quo quidem loquendi modo satis expresse Patres significant, non ipsum Sacramentum per modum causae physicae gratiam efficere, sed Deum ipsum immediate ad exhibitionem Sacramenti. Denique rationibus hoc idem ibi probantur ostendendo improbabilitatem, & impossibilitatem omnium modorum, quibus Thomistae defendere, & suadere nituntur Sacramenta physice gratiam causare, & praesertim modi communioris, quo utuntur, dum dicunt Sacramentum immediate efficere ipsam gratiam in anima recipiendo in se virtutem quandam a Deo superadditam, qua per modum instrumenti elevatur ad producendum gratiae effectum, hunc enim dicendi modum ex insensato rejicit Doctor loc. cit. 4. d. 1. quae. 5. s. *Contra opinionem istam*, quia gratia est aliquid sublimis, & excellens Divinae naturae participatio, ut non videatur possibilis illa virtus creaturae participatio, ut non videatur habere effectum corporeum, vel spirituales, vel enim corporea non sufficit ad producendam formam taliter spirituales, & supernaturales, nam adhuc ita erit improprie nata, sicut ipsa Sacramenta substantia, quod est corporeum. Neque secundum, quia virtus spiritualis in subiecto corporeo collocari nequit, cui tamquam accidens inheret, aut enim esset indivisibilis, id est, tota in toto, & pars in parte, non primo modo, quia inter omnes formas, nec fecundo modo, quia tunc extenditur per accidens in subiecto, quod est contra rationem virtutis spiritualis. Ita dicitur in qu. 4. cit. art. 1. num. 149. & sequentibus. Deinde art. 2. num. 157. probamus cum Doctor loc. cit. quod etiam si possibilis esset modus ille causalitatis, adhuc Sacramentis, prout de facto sunt instituta, tribui non debet, nec convenire potest, nam per Sacramenta, quae in fieri consistunt, & successively exercentur, gratia producitur in instanti ultimo, in quo jam non est Sacramentum, nec per primum non esse illius, in quo verum est dicere, cum sit instans extrinsecus, nunc non est Sacramentum, sed immediate ante fuit, ergo neque est causa instrumentalis physica, quia nihil potest physice causare etiam per modum instrumenti, nisi actu existat, in quidem actualis existentia est conditio simpliciter necessaria ad physicam causalitatem, sive principalem, sive instrumentalem, Responsiones autem, & objectiones Thomistarum admissas rejecit, & solvit loc. cit. Sunt vero causae morales gratiae Sacramenta non quidem principales, sed tantum instrumentales, cum quia sic vocantur a Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 7. tum quia causa moralis principalis ipsius gratiae est passio Christi Domini, ut dicitur ibidem, in cuius virtute dumtaxat Sacramenta hunc suum attingunt effectum.

23. Quoad, cum certum sit Sacramenta omnia novae legis conferre gratiam sanctificantem, sive primam, ut Baptismus, & Penitentia, sive secundam, quae est augmentum ipsius praehabita gratiae, ut reliqua Sacramenta, quae sunt, an Sacramentum breviter resolvimus dicitur, quae. 10. art. 1. ubi cum communi sententia dicitur nullam gratiam conferri per Sacramenta, quae Deus dare decrevit tempore opportuno Sacramenta debent recipi, quod etiam deducitur ex Scoti principis, postquam omnia 4. dist. 1. q. 4. & 5. docuit Sacramenta gratiam conferre habituales, sicut sanctificantem, agens postea de Sacramentis in particulari, aliquos peculiare effectus singulis assignat, & gratia distincta ab illa communi, quam omnia causant, quae non importat, nisi auxilia praedicta, agens enim de Baptismo inquit per gratiam ab illo collatam nos regenerari, per Confirmationem nec nos roborari ad confitendum constantem Christi fidelem, per Ordinem dari gratiam dignae exequendi ministeria sacra, quod consequenter de aliis quoque dicendum est, ut docet D. Bernardus serm. de Cena Domini, etenim per Sacramentum

Eucharistiae conferuntur subsidia ad perseverandum in gratia, & ut non sentiamus tam magnam iram, invidia, & luxuriam tentationes, quas sine illo Sacramento experiremur; per Sacramentum Penitentiae gratia aeterna in temporale commutatur; per Sacramentum Matrimonii dantur auxilia ad ejus opera sustinenda, & prolem recte educandam; & tandem per extremam Unctionem conferuntur auxilia, quibus infirmus resistit tentationibus in fine vitae occurrentibus, & quibus sanitate recuperet, si magis ad bonum animus conducatur. Unde concluditur, quod gratia, quam singula Sacramenta addunt supra communem gratiam, quam omnia conferunt, consistit in auxiliis actualibus ad fines speciales juvenibus, ob quos singula Sacramenta sunt instituta; atque ita gratia Sacramentalis differt a gratia communi habituali ab omnibus Sacramentis causata per ordinem ad peculiare effectum Sacramentorum ad quos praestanda gratia ipsa communis ordinatur per specialia Dei auxilia in singulis Sacramentis collata, quae doctrina est etiam Divi Bonaventurae 4. dist. 1. quae. 6. & dist. 7. art. 2. quae. 2. & in hoc sensu dicitur singula Sacramenta speciale aliquam gratiam conferre, ratione cuius inter se distinguuntur, quatenus quilibet Sacramentum conferit peculiarem gratiam ex vi sua distinctam a gratia alterius ratione peculiaris effectus, quae quidem specialia auxilia distincte etiam referuntur, ac enumerantur Concilio Florentino in decreto Eugenii Papae, & distinctius, ac facillius intelligitur ex his, quae infra de unoquoque Sacramento in particulari dicenda sunt. Tribuuntur autem illa specialia auxilia non statim, ac Sacramentum recipitur, sed iis temporibus, & occasionebus, in quibus convenientia, & necessaria talia auxilia videntur illi, qui est ut ait Propheta Psalm. *Adjutor in operibus suis, in tribulatione.*

24. Quinto quaeritur, An Sacramenta novae legis aequalem semper conferant gratiam. Pro resolutione notandum est, quod situm hoc in duplici sensu accipi posse; primo, an diversa Sacramenta, ut v. g. Baptismus, & Eucharistia aequalem conferant gratiam, secundo, an unum, & idem Sacramentum aequalem conferat gratiam omnibus illud suscipientibus. Et quidem in primo sensu omnes conveniunt conferre inaequalem, nam in Concilio Tridentino, sess. 7. can. 7. definitum est Sacramenta omnia non esse inter se aequalia, sed alia alia digniora esse, & excellentiora unde commemorat hic ordo dignitatis inter Sacramenta assignari solet, ut etiam satis indicat Tridentino, sess. 13. cap. 1. & seq. quod omnium dignissimum, & praestantissimum sit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, secundum dignitatis locum obinetur Sacramentum Ordinis, tertium Confirmatio, quartum Baptismus, quintum extrema Unctio, sextum Penitentia, & septimum Matrimonium, valde autem consentaneum est Deum voluisse majorem, & uberiorem gratiam conferre ceteris paribus per Sacramenta digniora, & perfectiora, qua ratione Theologi communiter dicunt Eucharistiae Sacramentum majorem, & uberiorem gratiam praeter ceteris conferre. In secundo autem sensu concedunt omnes Sacramenta aequaldem rationem inaequalem conferre gratiam pro inaequali recipientis dispositione, ita ut major gratia conferatur magis disposito, & minus disposito minor, sic enim expresse docet Tridentinum, sess. 6. cap. 7. dum inquit loquens de adultorum justificatione illos iustitiam recipere *secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem*, & ratio deducitur ex perfectissima Dei providentia, & iustitia distributiva, quemadmodum enim majores contritionis, & dispositionis iuxta Sacramentum in quo quoque gratia correspondet, ita majori attritioni, quae in Sacramento locum contritionis supplet, major quoque gratia correspondere debet. Petes, an gratia illa uberior, quae melius dispositis tribuitur, sit tantum ex opere operantis, an etiam ex opere operato.

25. Aliqui putant melius dispositis tribui maiorem gratiam non modo ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, nam actus illi, per quos homo ad suscipiendum aliquid Sacramentum disponitur, duobus modis spectari possunt, primo prout sunt ex se aliquis gratiae meritorii, secundo prout passivae disponunt subiectum suum, & magis aptum reddunt ad effectum Sacramenti recipiendum, & sic duplex illis respondet gratia, si spectentur priori modo, gratiam merentur ex opere operantis; si posteriori modo, reddunt hominem aptum ad maiorem gratiam Sacramentalem ex opere operato recipiendam. Ita Abellius c. 1. de Sacramentis in genere sect. 1. cum Becano, & alii. Sed quamvis hoc sit satis probabiliter dictum, aliter tamen pluribus Scotis dicendum videtur de mente Doctoris 4. dist. 4. q. 7. s. *si ergo*, quod scilicet, illa uberior gratia, quae melius dispositis tribuitur, sit tantum ex opere operantis, non autem ex opere operato; inquit enim ibi, quod quantum ex parte ipsius Sacramenti Deus aliquam gratiae portionem disposuit regulariter conferre cum isto signo, ita quod nulli minore, & ita dici potest conferri virtute Baptismi, de quo ibi loquitur, virtute

virtute veritatis huius signi, & sicut determinatio ista universalis quantum ad illum gradum est uniformis, ita & effectus aequalis; ex quibus verbis mens ejusdem colligitur esse, ut ad verum dist. 1. cit. quae. 9. ar. 1. quod Deus de facto gratiam Sacramentalem determinavit ad certum, & determinatum gradum, ita quod nulli suscipienti Baptismus, v. g. conferatur unquam major, vel minor gradus gratiae, & ille conferatur semper ex vi Sacramenti illud sine obiecto suscipienti; & ex vi ejusdem, quod est idem ac ex opere operato, nunquam major conferatur, vel minor, sed omniibus aequalis; & si interdum alicui melius disposito conferatur major, id erit ex opere operantis, & non ex opere operato, & ratio est, quia quodlibet Sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & promissione Dei, ut docet Concil. Trid. sess. 7. can. 7. de Sacramentis in genere, & ideo hic effectus ex parte Sacramenti semper esse debet aequalis, sicut enim Sacramentorum significatio debuit esse determinata pro singulis, ita & eorum efficientia quantum est ex parte Sacramenti; haec tamen est quaestio de nomine, quia semper major gratia conferatur melius dispositis, sive haec majoritas sit ex opere operantis, sive ex opere operato.

26. Sexto quaeri solet, An omnia Sacramenta vim habeant conferendi primam gratiam. Hanc difficultatem resolvimus dist. 1. cit. qu. 10. ar. 2. ubi diximus cum Soroz d. 9. qu. un. & dist. 15. qu. un. non omnia Sacramenta ex se, & ex vi sui institutionis primam gratiam conferre; nam quaedam per se, & principaliter sunt instituta ad delendum peccatum originale, vel attuale, ut Baptismus, & penitentia, quae proinde ex vi sua, & propria institutione habent conferre primam gratiam, ideoque communiter Sacramenta mortuorum appellantur, quia nimirum sunt instituta ad praebendam vitam spiritualem his, qui spiritualiter per peccatum mortui erant. Alia vero sunt Sacramenta per se, & principaliter instituta ad perficiendam magis animam, ut Confirmatio, nisi quod prius esse debet, & Eucharistia ad eandem reficiendam per modum cibi spiritualis, ideoque dicitur hoc Sacramenta vivorum, quia per se loquendo supponunt, & iuxta suam institutionem animam esse in gratia. Ex quo fit ut volentes ad haec Sacramenta vivorum accedere, ita dispositi esse debent, ut saltem in sua conscientia, & estimacione esse in statu gratiae supponunt, quod non requiritur in accedentibus ad Sacramentum Baptismi, vel Penitentiae, quae dicuntur Sacramenta mortuorum. Admissum tamen loc. cit. per accidens, & indirecte fieri posse, ut Sacramenta instituta ad primam gratiam conferendam conferant augmentum gratiae, & contra illa, quae instituta sunt ad augmentum, conferant aliquando etiam primam gratiam, quod ita declaravimus ibidem, quia continentiam supponunt esse in statu gratiae per actum perfecte contritionis, in quo tamen casu haec duo Sacramenta, alioquin per se ad primam gratiam conferendam instituta, conferunt tamen, sed augmentum gratiae, ut ait Doctor 4. dist. 4. qu. 6. Ex alia parte potest etiam per accidens contingere, ut aliquis habens aliquod mortale oblitum, putans tamen bona fide se esse in gratia, cum attritione accedat ad Sacramentum aliquid vivorum, & tunc ex virtute talis Sacramenti, alioquin ad solum gratiae augmentum conferendum instituti, primam gratiam recipiat, & a peccato justificetur, & ratio est, quia Sacramenta omnia ex se vim habent conferendi gratiam non poenitentiam obicem, ex Tridentino, sess. 6. canon. 6. & 7. taliter autem se habet homo bona fide accedens, & inculpabiliter ignorans se esse in statu peccati, sed tamen vera attritus de peccatis, cum qua attritione reciperet utrique gratiam per Sacramentum Baptismi, vel penitentiae; ergo etiam dici debet retinere primam gratiam in tali casu per Sacramenta vivorum modo jam explicato loco citato. Specialis tamen difficultas est de Sacramento Eucharistiae, an valeat primam gratiam conferre, & peccatum mortale remittere saltem per accidens, de qua fusa agimus etiam loc. cit. ad quem breviter gratia Lectorem remitto.

27. Postremo quaeri solet, quo tempore Sacramenta gratiam conferant. Conveniunt Doctores Sacramenta causare gratiam, quando sunt in esse completo Sacramenti, id est in eo instanti, in quo materia, & forma habent perfectam significationem, ad quam sunt instituta, vel Sacramentum sit completum, & perfectum in ultimo instanti prolationis verborum, sive in ultimo instanti materiae, sive in ultimo instanti utriusque, si materia, & forma sint simul. Ratio est quia Sacramenta gratiam producant in eo instanti, in quo gratiam significant, sicut idem Sacramentum est signum praetium, ut supra dictum est, quod scilicet significat, & significando producit, sed significat gratiam in eo instanti, in quo materia, & forma perfectam habent significationem; ergo, & c. unde Sacramentum Baptismi, Verbi gr.

causat gratiam in eo instanti, in quo ablutio, & prolatio verborum perfectum sensum gignit, & consequenter non est verus Baptismus, quando quis, aut nondum abluit, aut nondum protulit verba perfectum sensum habentia. Ita Suarez, Henricus Coninchius, Bonae, & alii passim. Qui tamen minus recte dicunt illud ultimum instanti, in quo completur Sacramenti significatio, & gratia producit, esse instans intrinsecus; hoc enim repugnat principiis Philosophiae docentis successivum desinere per ultimum instans extrinsecum, sed per primum sui non esse quatenus valet dicere, modo non est, immediate antea erat; unde assignari non potest ultimum esse entis successivi, nec eius ultimum indivisibile, sicut assignatur punctum in linea, eo quod sit ens permanens; ergo gratia producit in ultimo instanti extrinsecum, in quo jam non est Sacramentum, sed immediate antea fuit, cum enim hoc sit ens successivum, excepta Eucharistia, v. g. prolatio verborum, vel motus localis ablutionis in Baptismo, debet desinere per primum non esse; in quo verum est dicere, cum sit instans extrinsecum, nunc non est forma illa integra, sed immediate antea fuit, hoc est toto tempore ab inceptioe prolationis usque ad illud instans, ut fufius dictum est dist. cit. qu. 4. ar. 2. nu. 158.

ARTICULUS SECUNDUS.

De effectibus secundario quorundam Sacramentorum, quae sunt Characteres.

28. Primum conveniunt Doctores nomine Characteris intelligi signum quoddam spirituale, quod anima per quaedam Sacramenta imprimitur, ut enim diximus dist. 1. cit. qu. 5. ar. 1. Character est enim genus idem significans, quod latine sonat signum, nota, vel sigillum alicui reimpresum, & affixum; & dicitur esse signum indelebile, nec ullis peccatis obiterari posse, ac proinde Sacramenta, quae illum imprimunt, iterari non possunt; immo Characterem illum manere etiam post mortem, non solum in animabus beatorum, sed etiam damnatorum, in illis quidem ad majorem ornatum, & splendorem, in istis vero ad majorem ignominiam, & confusionem. Ita de nomine, & natura Characteris dicitur Scotus nosler 4. dist. 6. qu. 9. s. *De Primo*, & ita expresse definitum est in Concilio Tridentino, in decreto Eugenii Papae, & in Tridentino, sess. 7. can. 9. & ante praefata Concilia idipsum docuerunt SS. Patres, unde D. Anbrof. l. 1. de Spiritu Sancto inquit *Spiritus signatur, ut splendorem, atque imaginem ipsius tenere possimus, quod est unicus spirituale signaculum*, & Cyrillus Hierol. praefatione in Catech. Baptismi Sacramentum per effectus desinens ait esse *signaculum sanctum, & indelebile*, & sic etiam de Characterem dicitur D. August. serm. de gestis cum Emerito c. 6. & l. 1. contra Epistolam Parmeniani. Et quidem ejusmodi Characterem verbi imprimi animae per susceptionem quorundam Sacramentorum colligitur etiam ex pluribus Scripturae locis, ut ad Ephel. 1. in quorundam signatur *estis in diem redemptionis*, ut exponunt Chryf. Hieron. & alii patres; & ad Ephel. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis*, quem etiam locum intelligit Hieronymus de Characterem baptismali. Item 2. Corinth. 1. *Unicus Deus, & signatur nos ubi* Apostolus de Sacramento Confirmationis loquitur, & Unctionis illius signaculum conjungit, quae loca fufius declarata apud Bellarminum videri possunt c. 1. l. 2. c. 20.

29. Secundum conveniunt Doctores tria tantum Sacramenta Characterem imprimere, Baptismus, scilicet, Confirmationem, & Ordinem, ut constat ex Concilio Florentino, & Tridentino, cit. quod etiam ratione suadet, ac diximus qu. 5. cit. quia tria illa tantum Sacramenta iterari non possunt, ut ex praxi continua Ecclesiae colligitur, alia vero quatuor iterari possunt; hoc autem verum non esset, nisi Characterem imprimere, siquidem ex sola Characteris impressione Tridentino, loc. citat. deducitur illa tria Sacramenta iterari non posse, alioquin nulla ratio esset, cur iterari non possent, sicut alia Sacramenta, ergo ex non iteratione, tamquam ab effectu, quod Characterem imprimant, recte deducitur. Rursum hoc probat Scot. 4. dist. 6. q. 10. ut l. c. dicebamus elegant congruentia ex poltita humana deducta, nam sicut qui in familia Principis bene disposita, vel exercitum bene ordinato ad diversa applicatur officia, diversis notis, ac insignibus notari solent; quibus eorum munus cognoscatur, & ab aliis discernantur; ita in exercitu, & familia Christi diversi sunt hominum ordines, singuli propriis Characteribus notati, quibus eorum munus cognoscatur, ab aliis discernantur, nam per Baptismi Characterem homo familiae, & militiae Christi ascribitur, & ab omni alio extra hanc familiam distinguitur; per Characterem Confirmationis deputatur homo tamquam miles Christi ad certamen spirituale ad proficiendam fidem, & strenue pugnant.

utentem, & contrarie simpliciter dissentientem non valide baptizari, quia Deus per sapientem dicit Prov. 23. Falli probe mihi cor tuum nolens aliquid omnino invitum familie suae ascribi, suscipiens autem baptismum ascribitur per hoc familie Christi, & licet specialiter ibi de baptismo loquatur, est tamen doctrina generalis pro omnibus Sacramentis recipiendis.

46. Secundo ad declarandum, an praeter intentionem praedictam requiratur adhuc ulterior dispositio in adultis ad Sacramenta valide suscipienda, scilicet, fides, & probitas suscipientis, distinguendum est de dispositione, quae requiritur ad substantiam, vel valorem Sacramenti, & de dispositione, quae requiritur ad effectum principalem Sacramenti, qui est gratia justificans quia ad id est Sacramentum, aliud effectus Sacramenti, & Sacramentum est praevis natura, quam effectus; loquendo igitur de prima dispositione ad valorem Sacramenti non est necessarium ut recipiens habeat fidem, aut praeparat, excepto Poenitentiae Sacramento, ubi requiritur dispositio fidei, & contritio, vel attritio, quod aperte constat ex Concilio, & Pontificibus, qui juxta ritum Ecclesiae Haereticos baptizatos, vel ordinatos nolunt rursus baptizari, vel ordinari. Unde supponit Sacramentum sine vere fide, & consequenter sine sanctitate esse validum, & idem docent SS. Patres. Ratio autem hujus rei alia non est, quam institutio Christi, qui probatorem, aut fidem suscipientis non praescripsit, tamquam conditionem ad valorem, & substantiam Sacramenti necessariam, nisi in Sacramento Poenitentiae, de cuius substantia est poenitentia interna peccatoris, quam simul cum externa Confessione, pro parte essentiali per modum materiae instituit. Loquendo autem de dispositione, quae requiritur ad effectum principalem, qui est gratia, nam ad Characterem non alia dispositio est opus, quam quae ad valorem Sacramenti requiritur, loquendo inquam, de tali dispositione, aliqua alia adhuc dispositio requiritur, & conditio, ob cuius defectum Sacramenta, quamvis valida, dicuntur informia; unde, ut in Baptismo, & Praeputio gratiam conferant justificantem, licet non requiratur in suscipiente praevia aliqua sanctitas, sed gratia sanctificans, adhuc tamen requiritur fides, spes, & contritio, vel attritio, ut infra suis locis explicabitur, non requiritur autem gratia sanctificans, quia duo Sacramenta sunt instituta ad primam gratiam conferendam, & idem dicuntur in Sacramenta mortuorum, ad reliqua vero Sacramenta, quae dicuntur vivorum, requiritur, ut suscipiens sit in gratia, quia illa non primam, sed secundam tantum gratiam, id est augmentum tantum gratiae conferunt, est aliquando per accidens dent primam, cum scilicet, quis bona fide putat se carere mortali. Ita Layman, Bonacina, Beccanus, Averfa, & alii communiter, quae omnia fusa declarata sunt 4. sent. disp. 2. q. 5. de dispositione necessaria ad recipiendum Baptismum requisita & de aliis sacramentis in propriis locis, non enim potest una regula de sacramentis omnibus definiti, quoniam dispositio ad hunc sacramentorum effectum requiritur, & quoniam sit obiectum hunc impediens, sed distincte, & in specie de singulis est assignanda, in genere autem haec adnotare sufficit non esse necessarium ad omnia sacramenta recipienda accedere in statu gratiae, & specialiter id necessarium non esse, ad sacramenta Baptismi, & Poenitentiae, quia haec per se instituta sunt ad primam gratiam conferendam, & peccatorum remissionem, sed satis esse ad haec accedere cum demeritatione, & poenitentia peccatorum, sive haec sit contritio, sive attritio, & cum proposito ad illis imposterum abstinendi.

47. Tertio ex hoc deducunt Doctores communiter, & praesertim Averfa qu. 64. cit. sect. 9. in fine, graviter peccare, & sacrilegi reum esse accedentem ad aliquod Sacramentum suscipiendum, si conditiones non adhibeat, quantum est ex parte sua, ad ejus valorem requisitas, & pariter si dispositionem non adhibeat requisitam ad effectum gratiae recipiendum, & obiectum ponat juxta illud Apostoli 1. Corint. Qui indignus manducat, & bibit, iudicium sibi manducat, & bibit, si nimirum cum conscientia peccati mortalis Eucharistiam suscipiat; & eadem regula est de reliquis Sacramentis, proportione servata, ut si quis v.g. Baptismum suscipiat, vel abolitionem Sacramentalem abluat attritione saltem suorum peccatorum, & pariter si alia Sacramenta suscipiat cum conscientia peccati mortalis, grave sacrilegium committit; quae obligatio ex ipsa vi, & institutione Sacramentorum ortum trahit, cum enim Sacramenta vim habeant gratiam conferendi ex eorum institutione grave irreverentiam eis inferunt, qui sine debitis dispositionibus ad illa accedunt, quia eorum virtutem supernaturalem impediunt conferendi gratiam, & quantum est de se irritam reddunt Sacramentorum vim, & significationem; ex vi tamen hujus obligationis quicumque habet conscientiam peccati mortalis confessionem Sacramentalem praemittere non tenetur ad quodcumque aliud Sacramentum suscipiendum, excepto Eucharistiae Sacramen-

to, de quo quantum ad hoc extat speciale praecipuum, ut sito loco videbimus; sed satis erit per se loquendo praemittere, vel confessionem, vel contritionem, quae prudenter quis putet se in gratia repositum esse, imo loquendo de Baptismo, quando quis indispotus, & cum sacrilegio suscipit illud, sed postea se disponit, effectum quoque gratiae finalis recipiet, ut dicimus disp. seq. Denique qui vult Sacramenta suscipere, liber esse debet, & expeditus ab excommunicatione, & interdicto ex illicito Ecclesiae talem susceptionem impediens; imo si quis etiam esset in statu gratiae, quod quidem esse potest per actum contritionis simul cum hujusmodi censura accedendo ad Sacramentum, grave adhuc peccatum sacrilegii committeret, & idem ab solutionem a censura prius procurare debet.

48. Quarto conveniunt Doctores ad eundem Sacramenta recipientem recipere majorem, vel minorem gratiam juxta dispositionem meliorem, vel minus perfectam, quae se praeparat, ac disponit ad illa recipienda, ut dictum est supra qu. 2. ar. 1. n. 24. ita enim expresse habetur in Concilio Trident. sess. 6. c. 7. ubi loquens de adultorum justificatione per Baptismum, de quo & alia Sacramenta quantum ad hoc est eadem ratio, inquit illos Justitiam recipere secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus portavit singulis, prout vult, & secundum propriam mensuram dispositionem, & hoc valde congruum est, ut ex hoc magis exciterent ad melius se disponendos; & ne talis diligentia sit frustranea: an vero illa major gratia datur virtute Sacramenti ex opere operato, an vero ob meritum dispositionis ex opere operantis, ibidem dictum est num. 25. Quamvis autem gratia, quae datur in Baptismo, & in aliis Sacramentis semper sit aequalis; quantum est ex parte ipsius Sacramenti, in parvulis, vel adultis aequae dispositio, & ita fit de facto, attamen de possibili, & ex speciali privilegio potest uni communicari major gratia, quam alteri, non obstante aequalitate dispositionis, & hoc est triplici capite, ex speciali nimirum Dei benevolentia, qui est causa principalis: secundo ex speciali Passionis Christi applicatione, qui est causa meritoria; tertio tandem ex merito Ministrorum, & adstantium, qui ex opere operantis, & de congruo possunt suscipiendi aliquem gratiae gradum mereri; ita expressis verbis Scotus 4. dist. 4. qu. 7. §. Sic ergo, ubi assertionem probat quoad singulas partes, & nos ex profuso defendimus disp. 1. cit. de Sacramentis in genere qu. 9. contra Recentiores omnes oppositum asserentes ex verbis Concilii Trident. cit. quibus expresse docet gratiam dari secundum propriam mensuram quae dispositionem, & cooperationem; sicut ergo magis dispositus major gratia datur per Sacramentum, ita aequaliter dispositis aequalis gratia dari debet. Verum ut diximus loc. cit. ar. 2. ex verbis Concilii potius oppositum deducitur, quia non solum dispositionem assignat pro mensura quantitatis gratiae conferendae, sed etiam voluntatis Dei; & Concilium ibi loquitur de facto, & de eo, quod contingit ex lege communi; nos autem cum Scoto loquimur de possibili, & de eo, quod contingere potest ex speciali privilegio, non enim Doctor sustinet de facto hanc assertionem de inaequalitate proveniente ex parte causae principalis, aut meritoriae, ut ei Recentiores impugnant, sed de possibili, ut apertis verbis loquitur cit. cap. cum inquit: *Dubium est de facto, sed possibile est ostensa*. Alia ad hunc punctum spectantia videantur loco citato.

49. Quinto, est difficultas, An Sacramenta sine debita dispositione suscepta suos conferant effectus saltem homine postea se disponente; & difficultas procedit, quando Sacramentum integrum suscipitur quoad essentialia, tamen sine effectu ob indispotum suscipientis, quia non accedit legitime dispositionem suscipientis, quia non accedit legitime dispositio, & idem ejus effectum non recipit, an scilicet, in eo casu sublati obiecti, & accedente dispositione, quam suscipiens omiserat, Sacramentum gratiam producat. Quamvis autem de Baptismo id omnes affirmant, ut fusa discussimus disp. 2. cit. qu. 6. & declaramus cum Scoto 4. d. 4. qu. 5. de caeteris tamen Sacramentis variis sunt modi dicendi, ut ibidem diximus ar. 3. communiter tamen, & probabilior est hoc privilegium convenire omnibus Sacramentis characterem imprimentibus, ac proinde non solum Baptismo, sed etiam Ordini, & Confirmationi concedi debere, quae nullo modo irritari possunt, quod praesertim ex nostris docentur Bassolius, Pontius, Brancatus, & alii Recentiores; & colligunt ex Scoto 4. d. 1. qu. 5. §. Contra istam opinionem, Veri. *Quanto arguitur* in fine, ubi negat per alia Sacramenta imprimi ornatum characteri similem, quia alias recedente fisione suum causarent effectum, scilicet, gratiam, si adesse dispositio ad eam. Advertimus tamen ibi articulo 3. numero 164. quod potior ratio, cur Baptismus inter alia Sacramenta hoc habeat privilegium conferendi gratiam recedente fisione, sive obiecti, vel impedimento, non est, quia characterem imprimit, sed quia est medium ad salutem necessarium, scilicet ad remissionem

fitas, & ratio hujus est, quia hoc esset verum ad peccandum inducere, de quo potest videri Toletus lib. 1. cap. 92.

QUESTIO QUARTA.

De numero, ordine, & necessitate Sacramentorum.

DE diversitate Sacramentorum veteris, & novae legis, & quantum Evangelica Sacramenta praesentent, ac praecellant antiquis; item quot, & quae fuerint vetera Sacramenta & praesertim quid sit dicendum de Circumcisione pro statu legis scriptae, sufficienter jam discussimus 4. sent. disp. 1. de Sacram. in genere qu. 2. Quare hic solum restat assignare numerum, & ordinem Sacramentorum novae legis, ac eorum necessitates declaranda, ut deinceps de singulis pertractemus; quod breviter agemus duobus articulis sequentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quaestio, & quot sint vetera Sacramenta, & quomodo ordinem inter se habeant.

PRimum Ecclesiae Catholicae constans est sententia Sacramenta novae legis esse numero septem, nec plura, nec pauciora, quae sunt: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, quod tantum dogma de Fide definitum est in Concilio Trident. sess. 7. can. 10. & antea in Florentino sess. ultima, & a Lacio Papa Tertio c. Ad abolenda, de Haereticis aliisque antiquioribus Pontificibus, & Conciliis, & colligitur ex Scriptura, nam de Baptismo Joan. 5. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, & Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. De Confirmatione Actorum 8. ubi Apostoli imponebant manus super baptizatos ut ei daretur Spiritus Sanctus: *Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum Sanctum*, ubi Eugenius Quartus in Florent. cit. per manus impositionem intelligit Chrifti Unctionem, & per accipere Spiritum Sanctum intelligit donum gratiae sanctificantis. De Eucharistia Joan. 6. Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. patet hoc Sacramentum fuisse a Christo Domino institutum in ultima Cena, ubi dedit auctoritatem Apostolis Sacramentum hoc conficiendum dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. De Poenitentia Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittantur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. De Ordine constat in Evangelio Chriftum ordinasse suos Apostolos in Sacramentum, quando in nocte Coenae dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, & quando post Resurrectionem eisdem dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata remittantur eis, de quo etiam recte intelligitur locus ille 2. ad Timotheum 1. Admonete eos, ut resuscitent gratiam Dei, quam se esse, per impositionem manuum mearum*. De Extrema Unctione Jacob. 5. ubi habetur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orant super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & esset in peccatis suis remittentur ei*. Denique de Matrimonio probari solet ex illo Pauli ad Ephes. 5. ubi de Matrimonio loquens ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, quibus verbis significat Apostolus Matrimonium esse Sacramentum*, ut Aug. exponit lib. 1. de nupt. & concup. c. 17. licet Scot. not. 4. d. 26. sub lit. dicit hujus Sacramenti institutionem planius deduci ex illis verbis a Christo prolatis Matth. 19. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*. Quamvis enim ibi tantum approbaverit contractum institutum Sacramentum, & per consequens illum ibi non instituerit, instituit tamen Sacramentum, seu illum contractum ad dignitatem Sacramenti evertit, quae quidem S. Scripturae testimonium amplius suis locis illustrabunt tractando de unoquoque Sacramento, & institutione illorum.

54. Secundo, ratio, sed potius congruentia, cur septem numerum Sacramenta fuerint instituta, desumitur ex analogia inter corporalem, & spirituales vitam, ut docent D. Th. 3. q. 65. ar. 1. & Sco. 4. d. 2. qu. 1. hoc modo, nam in vita corporali requiruntur quaedam ex parte cujuslibet particularis personae, quaedam ex parte totius Republicae, ex parte hominum singulorum requiruntur tria per se, nempe generatio, augmentatio, nutritio, & duo per accidens, nimirum remedia contra morbos, si infirmitas occurrat, & remedia contra morbi reliquias, ut per se convalescat. Ex parte vero Republicae duo requiruntur, primum parentes, qui vitam corporalem hominum propagare possunt, secundo Principes, & Magistratus, qui eam ordinant, &

gubernent. Eodem ergo modo in vita spiritualis res se habet; primo requiritur regeneratio, quæ fit per Baptismum; secundo augmentatio, seu roboratio, quæ fit per Confirmationem; tertio nutritio spiritualis, quæ fit per Eucharistiam; quarto remedium contra morbum peccati, quod fit per Pœnitentiam; quinto remedium contra reliquias peccatorum, quod per extremam Unctionem habetur; sexto ex parte Reipublicæ Matrimonium, quo licite propagantur homines ad cultum Dei deputati; septimo tandem institutum est Ordinis Sacramentum pro recta Ecclesiæ gubernatione; & hæc totam congruentiæ rationem clare expressit quoque Concilium Florentinum his formalibus verbis: Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augeamur in gratia, roboramur in fide; renati autem, & roborati nutritur divina Eucharistia alimonia; quod si per peccatum aegritudinem incurrimus, spiritualiter per Pœnitentiam sanamur; spiritualiter etiam, & corporaliter, prout expediat animæ, per Extremam Unctionem; per Ordinem vero Ecclesiæ gubernatur, & multiplicatur spiritualiter per Matrimonium tandem corporaliter augetur. Hæc autem aduertendum est, quod licet Concil. Florent. & Trident. definitum sit septem tantum esse Ecclesiæ Sacramenta, non tamen definitum sit singula dicere speciem ultimam, & infimam, sed reliquerunt Scholasticis disputandum, præsertim de Sacramento Ordinis, & Eucharistiæ, ut lib. 4. sent. jam discussum est in propriis horum Sacramentorum disputationibus.

55 Tertio, si Sancti Patres aliquando alios ritus, vel ceremonias Sacramenta vocant; non loquuntur in propria, sed in lata significatione, ut communiter Doctores docent, qui etiam ad hoc recte intelligendum aduertunt ad conficienda Sacramenta adimpletum ritum requiri, unum essentialem, qui est de necessitate Sacramenti, & alium accidentalem, qui est tantum de necessitate præcepti; ad ritum essentialem Sacramenti requiritur materia, & forma, & intentio Ministræ; ad ritum vero accidentalem certæ ceremoniæ requiruntur ex Ecclesiæ institutione, seu actione externæ, & religiøsæ, quibus Sacramenta licite, & ordinate ministrantur juxta Ecclesiæ præscriptum. Circa quod conveniunt Doctores, quod Sacramenta, nec licite, nec valide administrantur sine ritu essentiali, & ratio deducitur ex proximè dictis, quia ritus essentialis consistit in materia, & forma, & debita intentione Ministræ; Sacramenta autem altero istorum deficiente, non valide administrantur, cum Sacramenta his ritibus perficiantur, ut constat ex superius dictis, sine ritu autem accidentali, quamvis valide administrantur, non tamen licite, quia tenemur nos accommodare ritibus Ecclesiæ in Sacramentorum administratione, ut constat apud omnes, ac prout variè ritus, & ceremonias Ecclesiæ est peccatum mortale ex genere suo contra Religionem, nisi quis ob levitatem materiam ad mortali excusetur, qualis videtur esse, si quis lingua vulgari baptizet, & non latino idiomate absque necessitate, & ratio est, quia peccatum contra Religionem, qualis est variatio rituum, & ceremoniarum ab Ecclesiæ præscriptarum, est mortale, posita gravitate materiam, tum quia ritus à Summo Pontifice præscripti neque per alios Prælatos, Summo Pontifici inferiores, mutari possunt, quia inferior legem superioris abrogare non potest. Possent tamen Episcopi in sua Diocesi ritum mutare, qui à Summo Pontifice præscripti non fuerunt, siquidem in potestate Episcopi est ea facere, quæ ad rectum Ecclesiæ sine regimine pertinent, dummodo à Summo Pontifice non impediantur. Ita Suarez, Valentia, Henriquez, Reginaldus, Lessius, Azorius, Caspenus, Becanus, Aversa, Bonacini, & alii passim.

57 Quarto, quod spectat ad ordinem, quem inter se Sacramenta tenent, docent etiam præfati Doctores multiplicem ordinem inter Sacramenta considerari posse. Primus est ordo numerationis, seu connexionis, quo superius enumerata sunt ex Concil. Florent. & Trident. ut primum locum obtineat Baptismus, secundum Confirmationem, tertium Eucharistia, quartum Pœnitentia, quintum Extrema Unctio, sextum Ordo, & septimum Matrimonium, cujus ordinis ratio sumitur præcipue ex analogia illa, & proportione vitæ spiritualis ad corporalem. Secundus est ordo dignitatis, & perfectionis, quo aliquod sit aliis dignius, & excellentius, & juxta hunc ordinem omnium dignissimum, & præstantissimum est Eucharistia Sacramentum, ut supra diximus ar. 1. hujus quest. 2. num. 24. ex Trident. sess. cap. 7. cap. 1. & seq. & ratio hujus præminentie est, quia hoc Sacramentum continet realiter, & substantialiter Christum ipsum sub speciebus Eucharisticis, secundum dignitatis locum obtinet Sacramentum Ordinis, tertium Confirmatio, quartum Baptismus; quintum Extrema Unctio, sextum Pœnitentia, & septimum Matrimonium, quod etiam infirmat Trident. loc. c. Tertius est ordo executionis, sive susceptionis, & sic ante omnia suscipitur Baptismus, & primum locum obtinet, quia ip-

se est janua omnium Sacramentorum, itaut alia Sacramenta invalde suscipiantur nondum suscepto Baptismo, secundum suscipi solet Confirmatio, quamvis non de necessitate, sed de congruentia, tertio per se loquendo sequitur Eucharistia, & dicitur per se, quia per accidens, si nimirum interponatur peccatum mortale impedimentum, tunc mediare debet Sacramentum Pœnitentiæ, unde ut observat Aversa qu. 65. sect. 2. hic mos in Ecclesiâ servatur, ut adulti qui baptizantur, statim confirmantur, & ad sumendam Eucharistiam admittantur, sed quia filii ex parentibus fidelibus orti statim in infantili ætate baptizantur, & non nisi per plures annos ad communionem admittuntur, & interim ex humana fragilitate peccata contingunt, idè inter fideles Pœnitentiæ Sacramentum functionem Eucharistiæ præcedere solet. Tandem sequitur Extrema Unctio, que reliquias peccatorum abstergit, & ad finalem præparationem disponit, ut ait Scotus l. c. & hæc sunt quinque Sacramenta, quæ singulas personas respiciunt, & per se in eodem suscipiente ordinem habent, inter Sacramenta vero Ordinis, & Matrimonii hic susceptionis ordo non reperitur, quia non per se in eodem subiecto junguntur, sed metè per accidens, quatenus contingere potest, ut conjugatus decedente, aut contentiente uxore promoveatur ad ordines, vel antea ordinatus in minoribus, & postea Matrimonium contrahat.

57 Denique quartus, & ultimus est ordo necessitatis, quo scilicet, unum Sacramentum præ aliis est necessarium, & hunc ordinem respiciendo primum locum tenet Baptismus, deinde Pœnitentia, quia nullus salvari potest sine baptismo, vel etiam sine pœnitentia post lapsum in peccatum, tertium locum obtinet Ordo, qui respectu totius Ecclesiæ est necessarius. Alia vero quatuor Sacramenta dicuntur necessaria ad melius esse, Confirmatio post Baptismum, Eucharistia, & Extrema Unctio post Pœnitentiam, Matrimonium ad fidelium multiplicationem, sed de hæc Sacramentorum necessitate distinctius agemus artic. seq. Addit Aversa loc. c. ordinem quoque tractationis, & doctrinæ, quia in declarandis, & considerandis singulis Sacramentis non omnes eundem ordinem servant; hic autem ordo docet in tractatu de Sacramentis præsertim ex natura rei postulare videtur, ut initium a baptismo desumatur, utpote qui est janua omnium Sacramentorum, & Sacramentum pertinens ad generationem spiritualem animarum, & finem æternam in Sacramento Extremæ Unctionis, ut potèe pertinet ad finalem præparationem, hoc enim est Sacramentum, ut inquit Scot. loc. cit. quo æxiens finaliter preparatur, quia vita ista spiritualis quedam via est ordinis, ut bene vivens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua præparatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

An omnia Sacramenta sint ad salutem necessaria, & quomodo.

58 Primum conveniunt DD. fuisse aliquo modo necessarium ad salutem hominis viatoris Sacramenta institui; non quidem simpliciter, & absolute, sed ad melius esse, & faciliorem illis consecutionem, & quidem quod Sacramentorum institutio non fuerit simpliciter, & absolute necessaria ex inde probatur, quia virtus infinita Dei non est Sacramentis alligata, ut communiter Theologi dicunt. Deus enim libere Sacramenta instituit ad nostram justificationem, & salutem, siquidem alio modo poterat, & sine Sacramentis hominem salvare, poterat enim instituire, ut per solos adus ex opere operantis homines salvarentur; fuit tamen necessarium ad melius esse, & faciliorem salutis consecutionem, quia multo melius, & utilius fuit Sacramenta instituire, præsertim propter par vulos, & infantes, qui cum actu proprio justificari non possent, optime illis in provium est, ut per aliquod externum remedium eis applicandum, & ex opere operato justificari possent ad originali, atque salvari, & hoc etiam multo melius, & utilius fuit propter adultos, ut abundantior, & uberior per Sacramenta gratiam recipient, & cum majori certitudine justificarent. Hinc deducitur Sacramenta esse necessaria solum ex suppositione, seu supposito Christi institutione, quantum ad usum, & exercitium, quia nimirum instituta sunt à Christo tanquam media, & remedia, sine quibus homo justificari, & salvari non potest, quod intelligendum est indefinite, id est, non de omnibus, & singulis Sacramentis, sed absolute, & in genere, sicque intellecta propositio est de fide, ut habetur in Concil. Trid. sess. 7. can. 4.

59 Secundò ad hoc melius, & distinctius intelligendum duplicem solent Theologi præsertim Recentiores distinguere necessitatem respectu salutis, seu vitæ æternæ, unam mediæ, alteram præcepti, ut diximus disp. 2. cit. de Sacramentis in genere, qu. 10. art. 3. illud dicitur necessarium necessitate mediæ juxta po-

poterem modum explicandi utramque necessitatem, quod est omnino per se necessarium ad gloriæ consecutionem, ideoque ab antiquioribus Theologis necessarium simpliciter appellabatur; sic status gratiæ dicitur necessarius ad gloriæ consequentiam, gratiam enim justificans secundum legem Dei ordinariam est medium necessarium ad consequendam beatitudinem, quantum sine illa de lege Dei ordinaria nullo modo obtineri potest, quare illud dicitur necessarium necessitate mediæ, quo prætermissio, etiam si ex ignorantia, vel oblivione prætermittatur, salus non obtinetur juxta legem Dei ordinariam. Necessarium vero necessitate præcepti solum est necessarium quasi per accidens, quia tantum se habet, ut removens prohibens, quatenus, scilicet, præceptum implendo tollitur peccatum, quod ex tali transgressione committeretur, & gloriæ consecutionem impedire poterat destruedo statum gratiæ, qui est simpliciter ad eam necessarius; unde quod est necessarium hoc secundum modum dumtaxat, cum sit solum quasi per accidens necessarium, si prætermittatur ob ignorantiam, vel impotentiam, non impedit gloriæ consecutionem, quia in tali casu ad culpam non imputatur; unde quia jejuniium solum est necessarium necessitate præcepti, si quis impotentiam non sequitur, vel ob ignorantiam præcepti inculpabilem excusabitur à peccato, ac proinde jejuniis omisso gloriæ consecutionem non impedit. Hujus autem duplicis necessitatis distinctio, licet quibusdam ex nostris non placeat sine ullo fundamento, ut loco citato ex professo ostendimus; est omnino necessaria ad discendum, quantum Sacramenta sint necessaria ad salutem necessitate mediæ, & quæ locum sint necessaria necessitate præcepti, ut mox explicabimus.

60 Tertio præmissa hæc doctrina pro terminorum declaratione, & modo loquendi, dicendum est cum Scoto pluribus in locis, quodam Sacramenta esse simpliciter necessaria juxta modum loquendi veterum Scholasticorum, vel esse necessaria necessitate mediæ juxta modum loquendi Recentiorum, ut Baptismus; quædam vero esse eodem modo necessaria, non tamen omnibus, ut Pœnitentia, quæ solis adultis peccatoribus est necessaria; nam Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ ad primam gratiam conferendam sunt instituta; Baptismus quidem simpliciter respectu omnium pro culpa originali delenda, Sacramentum vero Pœnitentiæ pro actuali delenda in adultis, si post baptismum susceptum illos peccare contingat; sed gloria haberi nequit sine prima gratia; ergo hæc duo Sacramenta sunt necessaria simpliciter, seu necessitate mediæ præfato modo explicata. Dices, si quis ante susceptum baptismum actum contritionis elicierit, aut dilectionis Dei super omnia moriatur, salvabitur; & idem dicendum de eo, qui post baptismum susceptum peccasset; ergo hæc Sacramenta non sunt simpliciter necessaria, seu necessitate mediæ. Hæc instantia jam occurrit l. cit. nu. 366. istos in prædictis casibus salvari, quia prædicta Sacramenta habent in voto, & desiderio suscipiendi, quia suscipiunt de facto, si possent, ita etiam disposuit suavis Dei providentia, ut cum prædicta duo Sacramenta sint simpliciter necessaria; quando nequeunt suscipi in re, sufficiunt in voto, vel in aliquo æquivalente, si votum non habet locum, ut in parvulo, cui sufficit martyrium, si baptismum suscipere nequit, quod baptismus sanguinis dici solet. Dices tursus, non minus contritione, ut sit medium justificans, involvit votum restituendi, & quodcumque aliud præceptum adimplendi; quam baptismum recipiendi; ergo si necessarium necessitate mediæ est id, quod in re, vel in voto ad justificationem requiritur; non minus restitutio, jejuniium, quam Baptismus, & Pœnitentia erunt necessaria necessitate mediæ. Respondimus est ibid. num. 367. negando consequentiam, quia licet ad illud, quod dicitur necessarium necessitate mediæ requiritur, quod sine ipso, vel in re, vel in voto salus obtineri non possit; hoc tamen non sufficit, sed ulterius requiritur, quod per se, & positive in justificationem inflat modum jam supra explicato n. 59. & non tantum per accidens, & per modum removens prohibentis, sed in proposito de restitutione, & jejuniis, & aliis præscriptis minime figuratur, sicut enim restitutio in re, vel jejuniium non concurrunt ad justificationem, ut medium positive inflans, sed tantum ut removens prohibens, nempè peccatum, quod ex transgressione præcepti restitutionem, vel jejuniis contraheretur; itaque vo-

tum ejus positive concurrerit, sive ut modicum quoad justificationem.

61 Quarto quedam Sacramenta sunt toti Ecclesiæ communitati simpliciter necessaria vagè non determinando personas, & talia sunt Sacramenta Ordinis, & Matrimonii. Ratio est, quia nequeunt homines salutem consequi, nisi aliqua Sacramenta, recipiant, hæc autem nequeunt confici, & ministrari, nisi à Sacerdotibus, & personis Deo sacratis; ergo simpliciter necessarium est Ordinis Sacramentum, per quod homines sunt Dei Ministri vagè tamen, & indefinite, itaut aliqui ex tota communitate debeat Sacramenta illa conficere, & ministrare. Sic etiam de Sacramento Matrimonii dicendum est servata proportione, quia in tota Ecclesiâ propagatio humani generis est necessaria, pro qua etiam extat præceptum naturalis; contractus autem Matrimonii in lege nova ad esse Sacramenti à Christo est elevatus, ergo etiam Sacramentum Matrimonii est simpliciter necessarium in Ecclesiâ Dei vagè, & indefinite, itaut aliqui ex tota Communitate illud Sacramentum sumere debeant, licet nullus in particulari teneatur, & plura adhuc de convenientia, & necessitate horum Sacramentorum in sequentibus dicenda sunt, & maxime in speciali tractando de singulis, quare in præfatis solum advertere sufficit, quod licet Ordo, & Matrimonium ad bonum commune totius Ecclesiæ maxime requirantur, & necessaria sint, ad salutem tamen uniuscujusque fidelium nullam neque mediæ, neque præcepti necessitatem inferunt.

62 Quintò Eucharistiæ Sacramentum est necessarium dumtaxat necessitate præcepti, ut constat ex Trid. sess. 13. can. 9. ubi damnatur quicumque dixerit homines non teneri ex præcepto Sanctæ Ecclesiæ in festis Paschalis communicari statim ac ad usum rationis pervenerint; est tamen aliqua inter Theologos dissensio, an præceptum de Eucharistia iudicanda sit Ecclesiasticum tantum, an etiam divinum, & hoc secundum valde probabiliter videtur, ut diximus l. c. num. 370. & expressè tenet Scot. 4. d. 13. qu. 3. quia Christus Joan. 6. aperte dixit se velle sumi Eucharistia à quolibet Christiano verbis illis *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, ubi loquitur Christus de manducatione, & potatione veræ, reali, & Sacramentali, & cum non loquatur de necessitate mediæ, quia hoc est Sacramentum vivorum, sequitur quod de necessitate præcepti sit intelligendum. Ecclesiæ vero tantum præscripsit tempus, in quo fideles communicari debent semel in anno, scilicet, in festo Paschatis, ut dictum est supra disp. 12. de præceptis Ecclesiæ q. 2. a. 3. Dices hoc Sacramentum esse necessarium etiam necessitate mediæ, & simpliciter, quia sicut se habet cibus corporalis, & materialis ad vitam corporalem, ita panis Eucharisticus ad vitam spirituales; sed cibus corporalis est simpliciter necessarius ad vitam corporalem, ergo spiritualis est vitam spirituales.

Respond. ex dictis q. 10. c. ar. 3. in fine Eucharistiam non comparari cibo materiali quoad necessitatem vitæ simpliciter, alioquin in omni ætate, & tempore sumenda esse, quod tamen Ecclesiâ prohibet; sed tantum quoad augmentum vitæ, & ejus conservationem; quare cum hic cibus spiritualis ad alendam vitam gratiæ spirituales ordinatur, quæ non nisi per actionem malam deperditur, quæ sit libera, non erit necessarius simpliciter, sicut cibus materialis ad vitam corporalem, unde paritas assumpta non contrit in omnibus, ut argumentum supponit.

63 Postremò communis etiam sententia docet Sacramenta Confirmationis, & extremæ Unctionis non esse necessaria necessitate mediæ, neque præcepti, ut etiam diximus l. c. Ratio est, quia cum sint Sacramenta vivorum, & instituta ad dandam secundam gratiam, seu gratiæ augmentum aperte deducitur non esse necessaria necessitate mediæ, quia augmentum gratiæ non est medium ad salutem simpliciter necessarium, cum sine illo salus haberi possit. Neque etiam sunt necessaria necessitate præcepti, ut ait Scot. 4. d. 7. qu. 2. quia de illis nullum extat præceptum, sed solum obligant ad non contemndum, quare ad summum dici possunt necessaria necessitate secundum quid, hoc est utilia, cum enim per ipsa conferatur gratia, & sint instituta ad particularem finem in salutem hominis viatoris, non est dubitandum, quin sint maxime utilia, & proficua ad eandem salutem obtinendam, ut infra suis locis explicabatur.